vel $PHSi$ tempus ab initio motus puncti F, & PK vel $PHSb$ tempus ab initio motus puncti G; & propterea $E\varepsilon$, $F\varphi$, $G\gamma$ erunt ipsis PL, PM, PN in itu punctorum, vel ipsis Pn, Pm, Pl in punctorum reditu, æquales respective. Unde $\varepsilon\gamma$ in itu punctorum æqualis erit $EG - LN$, in reditu autem æqualis $EG + ln$. Sed $\varepsilon\gamma$ latitudo est seu expansio partis Medii EG in loco $\varepsilon\gamma$, & propterea expansio partis illius in itu, est ad ejus expansionem mediocrem ut $EG - LN$ ad EG; in reditu autem ut $EG + ln$ seu $EG + LN$ ad EG. Quare cum sit LN ad KH ut IM ad radium OP, & EG ad BC ut HK ad circumferentiam $PHSbP$, & vicissim EG ad HK ut BC ad circumferentiam $PHSbP$; id est (si circumferentia dicatur Z) ut $\frac{OP \times BC}{Z}$ ad OP, & ex æquo LN ad EG ut IM ad $\frac{OP \times BC}{Z}$: erit expansio partis EG in loco $\varepsilon\gamma$ ad expansionem mediocrem quam habet in loco suo primo EG, ut $\frac{OP \times BC}{Z} - IM$ ad $\frac{OP \times BC}{Z}$ in itu, utque $\frac{OP \times BC}{Z} + im$ ad $\frac{OP \times BC}{Z}$ in reditu. Unde si $\frac{OP \times BC}{Z}$ dicatur V, erit expansio partis EG, punctive Physici F, ad ejus expansionem mediocrem in itu, ut $V - IM$ ad V, in reditu ut $V + im$ ad V; & ejusdem vis elastica ad vim suam elasticam mediocrem in itu, ut $\frac{1}{V - IM}$ ad $\frac{1}{V}$; in reditu ut $\frac{1}{V + im}$ ad $\frac{1}{V}$. Et eodem argumento vires Elasticæ punctorum Physicorum E & G in itu, sunt ut $\frac{1}{V - HL}$ & $\frac{1}{V - KN}$ ad $\frac{1}{V}$; & virium differentia ad Medii vim



vim elasticam mediocrem, ut $\frac{HL - KN}{VV - V \times HL - V \times KN + HL \times KN}$ ad $\frac{1}{V}$. Hoc est (si ob brevitatem pulsuum supponamus HK & KN indefinite minores esse quantitate V) ut $\frac{HL - KN}{VV}$ ad $\frac{1}{V}$, sive ut $HL - KN$ ad V. Quare cum quantitas V detur, differentia virium est ut $HL - KN$, hoc est (ob proportionales $HL - KN$ ad HK, & OM ad OI vel OP, datasque HK & OP) ut OM; id est, si Ff bisecetur in Ω, ut $\Omega\varphi$. Et eodem argumento differentia virium Elasticarum punctorum Physicorum ε & γ, in reditu lineolæ Physicæ $\varepsilon\gamma$ est ut $\Omega\varphi$. Sed differentia illa (id est excessus vis Elasticæ puncti ε supra vim elasticam puncti γ,) est vis qua interjecta Medii lineola Physica $\varepsilon\gamma$ acceleratur; & propterea vis acceleratrix lineolæ Physicæ $\varepsilon\gamma$ est ut ipsius distantia a Medio vibrationis loco Ω. Proinde tempus (per Prop. XXXVIII. Lib. I.) recte exponitur per arcum PI; & Medii pars linearis $\varepsilon\gamma$ lege præscripta movetur, id est lege oscillantis Penduli: estque par ratio partium omnium linearium ex quibus Medium totum componitur. *Q. E. D.*



Corol. Hinc patet quod numerus pulsuum propagatorum idem sit cum numero vibrationum corporis tremuli, neque multiplicatur in eorum progressu. Nam lineola Physica $\varepsilon\gamma$, quamprimum ad locum suum primum redierit, quiescet; neque deinceps movebitur, nisi vel ab impetu corporis tremuli, vel ab impetu pulsuum qui a corpore tremulo propagantur, motu novo cieatur. Quiescet igitur quamprimum pulsus a corpore tremulo propagari desinunt.

Prop. XLIX. Prob. XII.

Datis Medii densitate & vi Elastica, invenire velocitatem pulsuum.

Fingamus Medium ab incumbente pondere, pro more Aeris nostri

SIR ISAAC NEWTON *Philosophiae Naturalis Principia Mathematica* LONDON, 1687 THE WARNOCK LIBRARY Octavo